

Zweiundfünfzigster Jahresbericht
über das
Königliche Gymnasium
zu
CELLE.

Ostern 1887 bis Ostern 1888.



INHALT:

- 1) De Dialogi de oratoribus, qui Taciti esse existimatur, locis duobus lacunosis.
Scripsit **Vilhelmus Habbe.**
- 2) Schulnachrichten vom Direktor **A. Ebeling**, D. th. u. ph.

CELLE

Druck von W. Grofsgebauer

1888.

1888. Progr. Nr. 285.

qce
1(1888)

204, 19



De Dialogi de oratoribus, qui Taciti esse existimatur, locis duobus lacunosis.

De opere artificis, quod non integrum ad nos pervenit, vere judicare et partes amissas recte reficere saepe difficile est, scriptoris librum adeo afflictum, ut vel casu vel librariorum errore pars interciderit, supplere omnesque quae ad id pertinent quaestiones certa ratione ad exitum adducere multo difficilius videtur esse. Qua in re cum saepius dubitetur, quantum et quid desit, non modo quid sibi proposuerit auctor, sed etiam num bene rem propositam tractaverit, homines docti inter se dissentiunt.

Ac vera esse quae diximus cum ex aliis exemplis, tum e Dialogo de oratoribus intelligitur, quem revera a Cornelio Tacito, Annalium et Historiarum auctore, oriundum esse Jansenus tandem dissertatione sua de Tacito Dialogi auctore Groningae a. 1878 edita ad persuadendum accommodata putatur demonstrasse. Sed alias quaestiones ad veram „aureoli illius libelli“ formam et speciem pertinentes restare jam supra significavimus, quae non minus difficiles sunt dijudicatu. Quare ut ex aequo ea examinentur peto, quae de duobus illius libelli locis scripturus sum, quorum altero (in cap. 35) libros manu scriptos non integros esse constat, altero (in cap. 40) lacunam ab Heumanno repertam, qui a. 1719 Gottingae Dialogum edidit, plurimi editorum usque adhuc exstare negaverunt.

Quorum locorum vera cognitio magni momenti est ad compositionem libri recte percipiendam, quam non omnes editores et interpretes mihi videntur satis perspexisse, Waltherus Gilbert nuper admodum perverse intellexisse. Vid. Fleckeiseni Nov. annal. vol. 133 pagg. 203 usque ad 212. Itaque non inutile esse arbitratus sum, quid homines docti, quos suo quemque loco nominabo, de locis illis difficilibus senserint examinare eoque ad librum illum accuratius intelligendum pro mea facultate aliquid conferre. Qua in re et quid illis debeam et quid ipse invenerim, legentes facile discernent.

Sed antequam ad rem propositam accedam, ne oratio interrumpatur, facere non possum quin de consilio deque dispositione Dialogi pauca verba faciam.

I.

Quid sibi proposuerit Dialogi auctor, sive Tacitus fuit sive alius, — nam ea controversia ad rem mihi tractandam minus pertinet — plane videtur inde apparere quod initio libelli legimus respondere scriptorem velle Justo Fabio,*) qui saepe ex se quaesiverit, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, ipsorum potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. Neque vero initium solum sed etiam alii Dialogi loci, quid mente ille agitaverit demonstrant. Ac primum quidem in cap. 15 leguntur haec: velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas hujus infinitae differentiae scrutetur ac reddat; deinde in cap. 24: exprome nobis non laudationem antiquorum, sed causas, cur tantum ab eloquentia eorum recesserimus; tum in cap. 27: neque enim hoc colligi desideramus disertiores esse antiquos, — — — sed causas exquirimus; tum in cap. 32: ego hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. — — — Sunt aliae causae, magnae et graves, quas a vobis aperiri aequum est; denique in cap. 33: quibus artibus instrui veteres oratores soliti sint dixisti differentiamque nostrae desidia et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti, cetera exspecto et quae sunt reliqua.

Hos locos jam a Steinero in progr. Crucenac. a. 1863 pagg. 27 et 28**) collectos si Gilbertus — ut aliorum perversas sententias omittam — diligenter consideravisset, haud scio an non in eam cogitationem incidisset propositum fuisse scriptori, ut quaestionem prima Dialogi parte — de qua mox videbimus — tractatam, utrum eloquentiae an poesis studium pluris aestimandum esset, ad exitum adduceret.

Quod si ita esset, et in probandi ratione eligenda auctor Dialogi valde erravisset et a proposito tam longe declinavisset, ut vix reverteretur et omnibus locis modo allatis in tantum errorem legentium mentes induxisset, ut ante Gilbertum nemo doctus aenigma propositum solverit. Recte igitur id tantum videtur vidisse rem illam initio Dialogi in quaestionem vocatam in fine ad exitum adduci, eodem tempore optime expediri rem maximam non vidit. Nos autem locis Dialogi commemoratis nixi non dubitamus, quin revera causas auctor explicare voluerit, quibus factum esset, ut quae olim — i. e. libera re publica — fuit eloquentia sua aetate imminueretur et paene evanesceret.***)

Gravem eam esse scribendi materiam et cognitione dignam ne Gilbertum quidem negare posse arbitror. Videamus nunc, quid ad effingendam eam scriptor tribuerit, ut facilius partem operis amissam esse perspiciamus.

Atque ita rem instituit, ut legentes quasi interessent sermoni ab hominibus cum

*) Cf. Plin. epp. I 5, I 11, VII 2.

**) Cf. Tac. op. ed. Ruperti I pag. LXXXIII.

***) Cf. Aug. Reuter: De Quintiliani libro, qui fuit de causis corruptae eloquentiae. Vratislaviae a. 1887, pag. 57.

omnium literarum tum eloquentiae peritissimis habito, quos illam quaestionem pertractantes audivisse se auctor dicit. Nomina eorum sunt: Curiatius Maternus, Marcus Aper, Julius Secundus, Vipstanus Messalla. Qui cum ingeniis, cogitationibus, judiciis dissimiles sint, mira quaedam varietas orationis atque veritas existunt.

Ac primum quidem Maternus, cujus in domum ceteri conveniunt, causis forensibus omissis in poesin omne tempus narratur contulisse. Quem cum Aper ad fori negotia revocare studet, prima Dialogi parte, quae usque ad cap. 13 pertinet, disceptatio oritur, utrum eloquentiae an poesis studium pluris aestimandum sit. Verum ille cum artis dicendi utilitatem (cap. 5), voluptatem (cap. 6), dignitatem (cap. 7), laudibus effert, non universam eloquentiam laudat, sed eum tantummodo, qui illis temporibus vigit, usum forensem. Atque Eprii Marcelli et Vibii Crispi exemplis, quorum neuter probitate excellebat, sententiam suam confirmans aperte demonstrat illius temporis eloquentiam pristinam dignitatem amisisse. Hanc igitur eloquentiam malis moribus natam Maternus deserens ad liberam animi oblectationem poesin amplexus est, ut tragoediis faciendis gloriam compararet, qua temporis illius eloquentia destituta videbatur.

Deinde Messalla sermoni interveniens amicos adhortatur, ut causas imminutae eloquentiae explicarent. Sed quia descivisse eam a vetere gloria Aper omnino negat, altera Dialogi parte inde a cap. 16 usque ad cap. 27 de ea quaestione disputatur, utrum antiqui oratores praestantiores sint an recentiores. Aper non deterius statim esse quod diversum sit existimat neque recentioris temporis genus dicendi, quia ab antiquitate distet, contemnendum esse et damnandum. Variam esse eloquentiam dicit, voluntatibus eorum qui audiant accommodandam, quare voluntate et iudicio ab antiquis recessisse eam putat. Quae argumenta ad laudes posterioris aetatis efficiendas non plus valere facile intelligitur quam quod initio disputationis Aper attulit, ubi artificiosa annorum computatione antiquitatis terminos usque ad sua tempora studuit protrahere, quasi mutato nomine propriae antiquorum virtutes in praesentem quoque aetatem transferri possent. Hae argumentorum fallaciae breviter in cap. 25 a Messalla refutantur reliquis Apri argumentis silentio praetermissis, quasi more philosophorum ille contradicendi partes sibi sumens antiquos per speciem vexaverit. Itaque quoniam antiquitatis defensio ceteris supervacanea videtur, quaestio illa de causis imminutae et fractae eloquentiae jam antea mota denuo proponitur.

De hac igitur quaestione tertia denique libelli parte agitur inde a cap. 28 usque ad cap. 40 init. Ac primum quidem causae internae — ut ita dicam — illius differentiae, quae inter antiquorum et recentiorum eloquentiam intercedat, exponuntur, quas Messalla horum in desidia et inscientia esse positas ostendit. Hujus vero desidia causas affert duas: et pravam educationis domesticae rationem et institutionem oratoriam rhetorum scholis demandatam, cui oratorum veterum studia acerrima et quae nullo labore defatigata sint opponit. Nam cum eum solum oratorem esse iudicet, qui de qualibet quaestione et pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere possit, amplissimam eruditionem postulat, historiae notitiam, juris atque

philosophiae scientiam, naturae humanae cognitionem. Monente deinde Materno non solum arte et scientia, sed facultate etiam et usu contineri eloquentiam idem Messalla in cap. 33 ad exercitationes transit oratorum antiquorum. Apud majores dicit juvenem domestica jam disciplina bene praeparatum ad excellentem aliquem oratorem deductum esse, cujus et consuetudine et doctrina artes oratori necessarias disceret et ad veram perveniret eloquentiam. Praesenti autem tempore in scenas scholasticorum, qui rhetores vocentur, adolescentulos inscios et educatione depravatos transire, ubi et locus ipse et condiscipuli et declamationes a veritate abhorrentes plurimum damni ingeniis afferant. — Finis orationis a Messalla habitae in cap. 35 codicum defectu, quem jam initio commemoravimus, interiit. Proferuntur deinde aliae causae eaeque a mutata rei publicae forma repetitae, quibus effectum sit, ut deterior apud Romanos eloquentia fieret. Ac primum uberiores dicendi materiam fuisse antiquis oratoribus exponitur (cap. 36), deinde praemia majora proposita eis fuisse (cap. 37), tum prioris temporis formam et consuetudinem judiciorum eloquentiae fuisse (cap. 39 et cap. 40 init.).

In fine denique Dialogi ea sententia aperitur imminutam eloquentiam aegre ferendam non esse, quia multo magis optandum sit, ut sapientissimo et uno dominante otio et pace res publica fruatur, quam ut discordiis et dissensionibus perturbata materiam oratoribus subministraret. — Tali modo sententiae amicorum oppositae a Materno componuntur, qui ut antiquorum eloquentiam admiratur, ita proprias laudes praesentis aetatis vere agnoscit idemque jam bene putatur fecisse, quod causis forensibus omissis totum animum omnemque curam in versibus faciendis posuit.

II.

1.

Ex his quae diximus satis apparet in ea quaestione, quae maxime tractanda erat, minorem libelli partem versari, quoniam duodecim illa capita, quibus res maxima continetur, non plus trientem totius libri faciunt. Itaque non miror, quod ab eis qui parum cogitabant non integrum Dialogum esse, sed valde mutilatum — quo in numero Klossmannum*) nomino — homo mediocris ingenii, ne quid gravius dicam, auctor nominatur.

Nam quamquam longe profecto abest, ut priorum criticorum errorem secutus credam perfectos et omnibus numeris absolutos esse veteres scriptores, tamen ab omni bono auctore id jure posco, ut in eam rem quae gravissima est maximam orationis partem conferat. Quare vituperatione sane dignus esset idem, quem ceteroquin subtilem et ingeniosum esse conceditur, nisi in tertia Dialogi parte complura excidisse sumeremus. Quamquam nec defuerunt nec desunt qui libris manu scriptis fidem non habeant multum inter capp. 35 et 36 deesse testantibus,

*) Prolegg. in Dialog. de oratoribus claris Vratisl. 1819. Cf. judicium Ernestii praef. tom. I pag. LXI, Gutmanni Orell. edit. a. 1830 pagg. 106 et 109, Fr. A. Wolfii Miscell. pag. 158.

nimirum quod omnes admodum recentes sunt. Eidem homines docti quo modo praestantiam Dialogi miris laudibus praedicare et quasi in astra tollere possint, mihi obscurum est. Nam profecto ita res se habet: aut non satis versatus in scribendo fuit qui Dialogum composuit, si revera eam quaestionem, utrum praestantiores essent antiqui oratores an recentiores, totidem fere verbis altera parte tractavit quot rem, quam maximam esse vidimus, aut tertia libelli pars detruncata ad nos pervenit.

Possum hoc loco commemorare Schurzfleischium*), Woltmannum**), Ecksteinium***), alios prioris temporis interpretes et editores, qui aut nihil aut perpauca verba putaverunt excidisse iidemque opus praecipuae artis Dialogum interpretati sunt, sed Georgium Andresen tantum nomino, hominem doctum atque de Dialogo et emendando et interpretando bene meritum. Cui ut Act. diurn. gymn. Berolin. a. 1871 pag. 327, ita in editione altera operum Taciti Orelliana, quae a. 1877 Berolini prelum reliquit, et in editione sua Dialogi Lipsiensi a. 1879 persuasum est connexum sententiarum lacuna illa in cap. 35 non plane tolli. Quid? dissidere inter se partes Dialogi num vidit? Immo aperte agnovit et alterum locum supra commemoratum, de quo postea videbimus, supplendum esse censet, sed aliter de hac re iudicat: non solum ad causas deminutae eloquentiae explicandas litteris Dialogum mandatum esse putat, sed id etiam scriptori propositum fuisse, ut Maternum amicum falsis criminationibus purgaret. Illum enim, qui primas partes in Dialogo agit, eundem esse vult atque eum, quem in Cassii Dionis reliquiarum lib. LXVII cap. 12 ὅτι — verbis ejus utor — κατὰ τυράννων ἐπέτι δακνῶν a Domitiano imperatore interfectum esse legimus. At enim Franciscus Weinkauff†) bene docuit cognomen Materni non tam rarum fuisse quam Peterus††), Andresenus, alii opinentur, sed omni tempore apud Romanos usitatissimum, idemque putat σοφιστήν, i. e. rhetorem mercede docentem, apte Maternum, ut qui orator et poeta esset, vocari non potuisse; cujus si Dio mentionem facere voluisset, in cap. 13 inter philosophos aut morte aut exsilio a Domitiano multatos locus fuisset.

Utcunque res se habet, illud tenendum esse puto Dialogi auctorem, sive Tacitus fuit sive alius, sine dubio ejus quaestionis semper memorem fuisse, ad quam responsurum se esse in cap. 1 promisit, atque tum demum quin bene rem gesserit dubitari non posse, cum in tertia libelli parte sumamus haud pauca interiisse.

2.

Atque lacuna, quae est inter capp. 35 et 36, quanta fuerit facile videtur ad efficiendum, quia libri manu scripti non modo multum illo loco deesse testes sunt, sed duo iique

*) Animadv. crit. in Dialogum de orat. in Actis liter. Vitemb. a. 1714 pag. 184.

**) Transl. german. omnium Taciti librorum cum commentatt. et notis Berolini 1811—1817.

***) Prolegg. in Tac. Dialog. de orat. Halis Sax. a. 1835 pag. 29.

†) De Tacito Dialogi, qui de oratt. inscribitur auctore, edit. nov. atque auct. a. 1880 pag. LIV.

††) Vid. praef. edit. Dialogi Jenae a. 1877 pag. 20.

optimi paginarum amissarum numerum adjiciunt. Nam in cod. Vatic. 1862 [A]*) legimus: „hic desunt sex pagellae“ et in margine cod. Leidensis XVIII Periz. [B]: „deerant in exemplari sex pagellae vetustate consumptae“. Sed hoc consensu ipso significatur Ritterum**), Ulrichsium***), alios homines doctos, cum illa librariorum annotatione nixi ex ipsis Dialogi codicibus, qui ad nos pervenerunt, mensuram lacunae colligerent, operam et oleum perdidisse, quoniam in describendo eo exemplari, quod Henoch Asculanus haud multum ante annum 1460 Romam attulit, nec paginarum nec versuum modum scribae observaverunt. Nam ut alia praetermittam, in cod. A 16 foliis Dialogus continetur, in cod. B 29†). Itaque quantum partem Dialogi sex illae pagellae exemplaris Henochiani amissi continuerint, nisi novum auxilium comparatur, effici vix potest. Quod auxilium Eggerus††) in cod. Parisino 7773 inspiciendo invenisse sibi visus est. Non dubium est homini illi docto, quin is qui librum scripsit novem folia „a glutinatore vel alio quolibet“ postea dempta vacua reliquerit, sperans ope melioris et integri codicis librum suum se esse completurum. Quod si „scriba spatium excipiendo posteriori fragmento idoneum satis recta oculorum conjectura sit praemetatus“, sexta fere Dialogi pars nobis desit. Quam rationem ignoti liberarii omni carere fundamento nemo non intelligit. Quare temptavi ipse, si via, quam statim monstrabo, ad exitum minus incertum venire possem.

Constat inter omnes Rudolfum, coenobii Fuldensis monachum, qui anno p. Chr. 865 mortuus est, codicem et priorem Annalium Taciteorum partem et Germaniam†††) continentem manu sua versavisse, quo in codice praeter illos libros alios fuisse infra apparebit. Unde saeculo X vel XI truncum illud Annalium exemplar fluxisse veri simile est, quod anno 1508 e Corbeiensi monasterio ad Visurgim sito Romam, Leone X pontifice mortuo Florentiam translatum est, ubi etiam nunc servatur in bibl. Medic. plut. LXVIII cod. 1. Altera libri pars saeculo XIII descripta*†), quae Taciti Germaniam continuit, quacum Dialogum de oratoribus et Suetonii libellum de Grammaticis et rhetoribus cohaesisse e codice Leidensi XVIII Periz. Q. 21 scimus**†), initio saec. XV in monasterii Hersfeldensis ad Fuldam fluvium siti bibliotheca fuit. Testes sunt epistolae Francisci Poggii, Chrysolorae discipuli, ad Nicolaum de Nicolis Florentinum missae, quas Thomas de Tonellis Florentiae a. 1832 edidit. Vid. Michael.

*) Sequor Adolfum Michelis, qui Lips. a. 1868 Dialogum edidit.

**) Vid. edit. Tac. Lips. a. 1864 pag. 723.

***) Eos II 232. Hunc sequitur Eduardus Philipp progr. Vindobon. a. 1887, quod inscripsit „Dialogi Tacitini, qui fertur de oratoribus, quae genuina fuerit forma“ pag. 34. Idem quo modo codici Vindobonensi II ab Huemero collato (Zeitschrift f. d. oesterr. Gymn. 1878, pag. 801 sqq.) multum tribuere potuerit, non intelligo.

†) Cf. Taciti Germ. ed. Massmann Quedlinb. 1847, pag. 7 et pag. 16.

††) Vid. Zimmermanni Zeitschrift f. d. Altertumsw. III (1836), pag. 338.

†††) Vid. Pertzii Monum. Germaniae histor. vol. I pag. 368 et II pag. 675.

*†) Vid. Suetonii Tranquilli quae supersunt omnia rec. Carol. Lud. Roth Lips. a. 1877, pagg. LXV et LXVI.

**†) Ritt. edit. oper. Tac. Lips. praef. pag. XVIII.

edit. Dialogi pag. XIX sqq. Hunc librum Hersfeldensem aut ipsum aut descriptum Henoch Asculanus anno 1451 a Nicolao V pontifice maximo, bibliothecae Vaticanae conditore, „ad inquirendum et transscribendum libros antiquos“ in Galliam, Germaniam, Daniam missus*) haud multum ante annum 1460, ut jam ante diximus, in Italiam transvexit, exscripsit Jovianus Pontanus.

Quae cum ita sint, librum Hersfeldensem, quem amissum esse valde dolemus, e cod. Corbeiensi eo tempore exscriptum esse satis probabile est, quo is praeter Annalium priorem partem Germaniam, Agricolam, Dialogum, Suetonii libellum commemoratum habuit. Cf. Urlichs annal. philol. Eos II, 224 sqq. Hos libros hoc loco idem exposuit partem fuisse fasciculorum XVII priorum codicis Corbeiensis (Medicei I), in quo quaternionum numeri XVIII usque ad XXXIV recentiore manu inde ab undevicesimo fasciculo ita mutati sunt, ut illis numeris notae numerorum II, III sqq. subscriberentur, quae quaternionum seriem cod. Med. I priore parte privati indicarent.

Sed falsam esse illam Urlichsii opinionem ostendunt quae Henricus Keil in Plinii epistol. editione Lips. a. 1870 praef. pag. VII exposuit.

Nam codicem Mediceum plut. XLVII 36 Plinii epistolarum novem libros usque ad noni libri epist. 26, § 8 continentem ab eodem librario confectum esse, qui Annalium Taciti libros V vel potius VI in cod. Med. plut. LXVIII 1 scripsit, et olim Angel. Mar. Bandinius, bibliothecae Laurentianae summus praepositus, vidit**) et Henrico Keil, grammaticorum latinorum editori illi doctissimo, cum utrumque librum tractabat, manifesto apparuit. „Quin etiam, inquit, uno volumine olim duos codices comprehensos vel certe uni volumini destinatos fuisse numeri quaternionum, qui in imis marginibus ultimarum unius cujusque fasciculi paginarum in utroque codice scripti sunt, indicant. Nam cum in Plinii codice continui sint quaternionum numeri inde ab I usque ad XVII, hos in Taciti codice excipiunt numeri prorsus eodem loco antiqua manu positi XVIII usque ad XXXIV. Itaque cum a librario, qui primum Plinii epistolas deinde Taciti libros scripsit, continui quaternionum numeri positi essent, postea duobus voluminibus factis in posteriore parte, quae Taciti libros continebat, numeri ita ut dixi mutati videntur esse.“ Quare si Taciti scripta minora et Suetonii libellus, quem saepius commemoravimus, epistolas Plinii et Annalium priorem partem in codice Corbeiensi sequebantur, quin codex archetypus Fuldensis ipse miscellaneus fuerit, non est cur dubitemus.

Jam vero in Plinii codice Mediceo, lacunarum notis non apposis, desunt haec: I, 16, 1 nunc vero — 20,7 cum ede —; III, 1, 11 fuit obiit — 3,5 credere potes; III, 8, 4 est. Vale — 9, 28 dixi diligenter. Quarum lacunarum e codice Florentino olim bibliothecae S. Marci 284 et cod. Dresdensi (D. 166) supplendarum prima et tertia inter se nihil distant circuitu, secunda dimidia fere pars est utriusque.

*) Cf. Michaelis l. c. pag. VIII.

**) Cf. Catal. cod. lat. biblioth. Mediceae Laurent. v. II pag. 419.

Apparet igitur jam codicem Fuldensem non solum in media parte quinto Annalium libro fere toto privata, sed etiam in prima fuisse lacunosum. Itaque non sine causa arbitrari mihi videor etiam extremae ejusdem codicis partis, in qua cum libellis pag. 9 commemoratis Dialogum de oratoribus fuisse conjecimus, folia nonnulla periisse „vel murium dentibus abrosa — ut Saupprii*) verbis utar — vel flammis adusta vel humore putrefacta vel barbarorum manibus decerpta“. Verba autem lacunae in cap. 35 Dialogi circuitum indicantia, quae e margine codicis Hersfeldensis in Pontani exemplar, inde in recentiores codices transierunt, quo minus eodem modo ac verba in margine cod. Vaticani 3864 epistol. Plin. I 16 recentiore manu adscripta ad cod. Fuldensis lacunam referamus, nihil est quod impediat. Atque cum huic archetypo post illam Plinii epistolam duae chartae = 4 pagg. defuerint, si eadem scripturae aequabilitate, quam in codicibus Mediceis plut. XLVII 36 et plut. LXVIII 1 — i. e. in codice Corbeiensi — videmus, eum qui Fuldensem scripsit a primo ad extremum usum esse sumimus, profligata haec quaestio et ad exitum tandem adducta videtur esse. Nam

2 chartae = 4 pagg. cod. archetypi = fere $\frac{1}{63}$ cod. Med. plut XLVII 36,

3 „ = 6 „ „ „ = „ $\frac{1}{63} + \frac{1}{126} = \frac{3}{126} = \frac{1}{42}$.

Dialogi autem quod reliquum est ad hunc codicem Mediceum ut 1 ad 6. Ergo pars Dialogi amissa = $\frac{6}{42} = \frac{1}{7}$.

Sed ut cognoscamus num haec ratio constet, aliam mensuram quae propior est adhibeamus. Nam in editione operum Taciti stereotypa Teubneriana, quam a 1865 Carolus Halm iterum curavit, Dialogum circiter 1100 versus efficiunt: atqui sex paginae codicis archetypi amissae, quas e cod. Florentino et cod. Dresdensi supplere possumus, circiter 154 versibus ejusdem editionis pares sunt. Ergo septima fere pars Dialogi deest, qua in conjectura jam non possumus quin acquiescamus.

3.

Paulo plura excidisse Gabriel Brotier in Tac. operum edit., quae Manheimii annis 1780 et 1781 prelum reliquit, opinatus est; qui qua ratione in eam sententiam venerit, non reperi. Ita autem lacunam quae inter capp. 35 et 36 est explevit, ut sextam fere partem libelli adderet. Ac primum quidem Messallam ita facit perorantem, ut queratur quod rhetorum discipuli ad omnes scenicas artes se vertant, quibus admirationem sui movere velint. Histrionali ea institutione, ait, quod superfuisset verae eloquentiae evanuisse, quae non venalibus praeceptis, sed longa ac severa cum cogitandi tum scribendi ac dicendi exercitatione formetur atque perficiatur. Tum aures amici praebent Secundo pluribus verbis explicanti, quam perniciem eloquentiae intulerit L. Annaeus Seneca, qui saeculi sui voluntati et iudicio obtemperans dicendi genus adhibuerit facile, breve, sermoni communi proximum, verbis circumcisum, sententiis frequens. Statim Senecae laudibus forum personuisse dicit, quae non solum egregio

*) Epist. crit. ad. Godofredum Hermannum pag. 135.

sapientiae ejus studio auctae sint, sed etiam favore principum in invidiam commutato. Accessisse quod eloquentia forensi graviter aegrotante juvenum licentia audacter eruperit nec loci majestate nec sanctitate legum nec officii dignitate repressa. Atque quod unum superfuerit praesidium, famae periculum, sublatum esse corrogando auditores et plausum clamoresque conducendo. In exirema oratione Secundus a Materno petit ut dicat, meliorumne temporum spes sit, et quae ratio esse possit emendationis doceat.

Cui Maternus haec fere respondet: Vitia etsi ipse oderit, quae Messalla et Secundus acerrime ut integros deceat viros insectati sint, tamen rhetoribus haud ita infensum se esse, non quod ad eloquentiam renovandam idoneos eos existimet, sed quod multos noverit morum integritate, severitate disciplinae, literarum cultu ad animos juvenum formandos maxime idoneos. Quos inter unum — M. Fabium Quintilianum sine dubio dicit — eminere coepisse, qui quantum ea in re consequi possit humana industria, tantum sit praestaturus. Sed ne vana spe amicos fallat, neque illius neque alius cujusvis artificio reviviscere posse eloquentiam rerum et temporum necessitate amissam. Nam nihil in vita humana constans esse et aeternum, neque corpora neque ingenia, quae ubi primum crescere non possint, statim decrescere et in pejus mutari. Eam primam esse humanarum rerum legem, cui omnis aetas, gentes omnes pareant, quae sui memoriam reliquerint. Inevitabile illud fatum ne a Graecia quidem vinci potuisse, fecundissima ingeniorum parente, quae unum Homerum, unum Platonem, unum Demosthenem tulerit. Pari lege Romanos premi: postquam Ciceronis os sublime et eloquentissimum intonuerit, certamen oratorum desiisse. Laudem deinde novam novo dicendi genere quaerendam fuisse, quod mutata reipublicae forma ipsa invexerit. Nam ad temporum conditionem semper orationem accommodandam esse eamque in libera republica, cum aut internum oriatur discidium aut externa vis servitium minitetur, pulcherrime florescere. Testis, inquit, est Demosthenes, qui sola eloquentia armatus adversus domesticos adversarios et hostes externos pugnavit, qui patriae caritate, amore libertatis incensus nihil nisi sublime sine ullo privatae utilitatis studio ob patriam et publicam „rem cogitare, nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat“.

Ita homo doctus ille francogallicus quae addidit his verbis adjungit, quae post lacunam integra manserunt.

Quod supplementum ab omnibus fere his, qui post eum ediderunt Dialogum, silentio praetermissum dignum mihi videtur esse quod ab oblivione vindicetur. Atque Broterium melius meritum esse puto de aureolo illo libello recte percipiendo quam nonnullos illorum, quia non solum multa deesse recte vidit, sed partis amissae imaginem non multum a veritate abhorrentem ante oculos legentium exposuit. Ac primum quidem, ut quaedam minora omittam, quae minus mihi placent, id recte fecisse mihi videtur quod Secundum, quem non semel copiosius de re proposita dixisse postea exponemus, disputationi hoc loco adhibuit, minimeque adducor, ut probem quae Gilbertus ea de re disseruit. Qui cum id potissimum spectasse auctorem Dialogi opinetur, ut scholasticos (Aprum) cum poetis (Materno) committeret, antiquitatis patrocinium

Messallae mandatum esse satis habet; neque enim fieri potest, ut ex errore gravissimo vera cognitio nascatur.

Quid vero? e fine Dialogi, ubi Secundi mentio fit nulla, nonne satis apparet verba eum non fecisse? Immo si non fecisset, in eadem sum sententia cum Steiner*) futurum fuisse, ut inter homines perpolitos id commemoraretur, verbis additis alio tempore aliquid ad rem propositam explicandam Secundum collaturum esse; sin autem locutus erat, neque necessaria fuit hujus rei mentio neque commode fieri potuit. Nam Maternus Aprum complexus neque dixit „Ego te et Secundus poetis criminabimur“, quia in ipso solo poetae injurias acceperant neque „Messalla et Secundus antiquariis te criminabuntur“, propterea quod hic, nisi duplicem personam putatur tulisse, minus acerbe et graviter quam ille Apro antiquorum eloquentiam vexanti restitit.**)

Jam memoria repetamus Secundum in cap. 2 inter celeberrima fori ingenia numerari, quem auctor Dialogi non modo in judiciis studiose audiverit, sed domi etiam et in publico sit adsectatus, eundem in cap. 14 laudari a Messalla, quod Julii Africani***) oratoris vitam bene composuerit, ab Apro in cap. 23 una cum Materno summis laudibus efferri, quod gravitati sensuum nitorem et cultum verborum misceant, sic exprimant affectus, ut, etiamsi aequalium judicia malignitas tardaverit, verum de illis dicturi sint posteri. Accedit quod in cap. 16 Maternus et se et Secundum eas disputationis partes promisit exsecuturos, quas Messallam reliquisse intellexerint. Francisco Ritter†) etsi concedo „honorificam amici commemorationem“ eam esse posse, „nihil amplius“, tamen animum inducere nequeo ut putem Maternum, hominem urbanitatis plenum, a Secundo solo, „celeberrimo tum fori ingenio“, non petivisse, ut ad propositum melius expediendum aliquid conferret, atque Dialogi auctorem ceteroquin Ciceronis de Oratore libros imitantem duas tantum personas, quae de causis fractae eloquentiae disputarent, induxisse, cum facillime et optime, si Secundum quoque participem disputationis faceret, variare orationem et distinguere posset idemque sententiam eorum refutare, qui purum et pressum sermonem Secundo defuisse opinabantur. (Cf. cap. 2.)

Haec quoniam statuimus, videndum est, accommodatae sint et rationi Dialogi et Secundi personae quae Broterius eum facit disputantem.

Atque cum non solum a scriptore, sed etiam ab eis, quos disputantes induxit, Apro excepto Ciceronianum dicendi genus optimum haberi videamus, non gravate adducor ut existimem vituperatum esse aliquo loco eum, qui de industria a Cicerone maxime deflectens eloquentiae plurimum damni intulisse visus est, dico L. Annaeum Senecam. Quod si probabile est, neque melior locus reperietur ad damnum illud explicandum neque persona magis idonea quam Julii Secundi in gradibus et aetatibus eloquentiae ut vidimus bene versati.

*) L. c. pag. 35.

**) Cf. Steiner l. c. pgg. 35 et 36, Peteri edit. Dial. pgg. 142 et 143.

***) Vid. Nipperdeii opusc. Berolini a. 1877 pag. 285.

†) Vide annotat. ad Dial. cap. 35 in edit. Cantabrig. a. 1848.

At forma orationis, si universam spectas, ab ingenio Secundi miti atque placabili, cujus veram imaginem mox conspiciemus, aliqua ex parte aliena est. Neque Aprum puto, quo erat animi ardore, Senecae vexato defuisse, cujus imprimis cogitationibus et sententiis ad laudandam et defendendam sui temporis eloquentiam consulto et dedita opera videtur usus esse ut optimi et celeberrimi illius aetatis defensoris.*) Etiam si non multa verba interpellatus a principe sermonis fecerit, tamen haud scio an Catonis, Medae, Thyestis auctorem admonuerit, quantum ipse ad fabulas illas componendas Senecae poetae deberet, atque ita legentibus in memoriam reducerit Maternum — id quod ad perorationem ejus recte percipiendam haud leve est — causas agere desiisse.

Alia contra Messallam quoque disputandi materia Apro non deerat. Merito — ut hoc unum commemorem — quaerere ex illo potuit (vid. Klossmanni Prolegg. in Taciti Dialog. Vratisl. a. 1833 pag. 21), perversa illa educatio domestica num tantam habuisset in oratorem futurum vim, ut qui puer inter parietes coram servis impudenter loqui non dubitaret, is vir factus in foro quoque et in curia in impudentiam effunderetur, atque quomodo histrionale et equorum gladiatorumque studium, quippe quod veteri populo ipsi non incognitum fuisset, mores ita corrumpere posset, ut nullus omnino honestis artibus locus relinqueretur. Praeterea a ceterorum quolibet accuratius explicari potuit studium oratorum Graecorum neglectum damno eloquentiae fuisse atque eandem vim habuisse quod, cum antiqui et oratores et scriptores fuissent neque mercedem acceperant, recentiores nihil fere essent nisi mercennarii.

Videmus igitur tantum materiae adesse lacunae explendae, ut sententias cap. 12 supplementi Broteriani propositas, quod longius productum esse supra diximus, in alium locum possimus differre.

III.

Jam quaeritur, quisnam disputantium de Demosthenis exemplo amicis admonitis — nam eloquentiam Graecorum post illum paulatim deminutam in fine particulae quae interiit propositam fuisse fere pro certo putandum est — ea quae cap. 36 sequuntur dixerit. Atque plurimi editorum Dialogi et interpretum omnia, quae inde a cap. 36 usque ad finem cap. 41 in codicibus habentur, uno tenore a Materno dicta esse etiam nunc censent, quamquam jam pridem rectam veri cognoscendi rationem, ut initio disputationis commemoravimus, Heumannus iniiit. Is ad verba cap. 40 „quas oratoribus faces admovebant. Non de otiosa et quieta re loquimur“ haec annotavit: „Vehementer miror neminem**) observasse hic ingentem esse hiatum, cum tamen praecedentia verba sint Messallae causam eloquentiae agentis, posteriora Materni,

*) Cf. Kleiber: Quid Tacitus in Dialogo prioribus scriptoribus debeat. Halis Sax. a. 1883 pg. 79.

**) J. Lipsii verba (vid. Tac. op. ex recensione Jacobi Gronovii Trajecti Batavorum a. 1721 II pg. 558) „a fine autem libelli, ut cuivis videre est, multa desunt atque adeo praecipua dissertationis pars“ non ad hunc locum referenda sunt.

qui contra oratores eorumque artem verba facit; — itaque manifestum est permulta hic excidisse ac Messallae orationem fine, Materni exordio carere.*

Cujus sententiae patrocinium primus plus centum annis post U. Beckerus*) haud ambigue ita suscepit, ut quae inde a cap. 36 ad cap. 40 init. leguntur Secundo, reliqua usque ad finem cap. 41 Materno ascriberet. Secundus enim, inquit, „et orator satis laudatus et historiarum auctor, potius Messallae sermonem excipere valebat quam Maternus, qui relicto foro judiciisque, cum poetae tantum laudibus floreret ideoque extra contentionem quasi positus esset, optime et solus ad totam litem componendam aptus erat illas rationes proferendo, quae magnae veteris illius eloquentiae damnum bonis aliis compensantes solatio esse possent.“ Neque tamen post cap. 35 neque in cap. 40 multa interiisse arbitratur, sed ea tantum hoc loco desiderari, quibus Messallae oratio cum Secundi hujusque verba cum Materni transitu justo conjungantur.

Tum quinquaginta fere annis interjectis Andreseni opera factum est, ut propius ad veritatem res adduceretur. Is primum in diurn. gymn. Berolin. a. 1871, deinde in editionibus Dialogi pag. 7 commemoratis quod Beckerus leviter significavit accuratius persecutus monuit per totum libellum eam esse Materni provinciam, ut omnem eloquentiam in malis hominum moribus tamquam fundamento niti demonstraret neque ullum ei locum in civitate concedat ex optato composita. Itaque quae capp. 40 et 41 contineantur cum eis sententiis, quas a cap. 11 ad cap. 13 ille aperuerit, bene congruere putat, discrepare ab eis, quae capp. 36—39 legantur: tempora ultima liberae rei publicae, etsi dissensiones civiles quae evitari non potuissent atque seditiones tulissent, tamen maxime idonea fuisse ad eloquentiam dignam admiratione perficiendam. Quae discrepantia ut manifestior fiat, Andresenus significat eis verbis Maternum, quae in fine cap. 40 dicat: „sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit“ et q. s. respondere ad ea, quae in cap. 37 leguntur: „non quia tanti fuerit rei publicae malos ferre cives“ et q. s. Magis perspicue deinde verbis capitis 41 „quid enim opus est longis in senatu sententiis“ perstringi ea, quae in cap. 36 leguntur „cum parum esset in senatu breviter censere“ atque eandem rationem intercedere inter ea quae sequantur „quid multis apud populum contionibus“ et cap. 36 haec verba: „hinc contiones magistratuum paene pernoctantium in rostris“. Postremo „invidiosas et excedentes modum defensiones“ cum reprehensione opponi dicit veterum oratorum dicendi libertati, quae in cap. 38 uberrima verborum copia praedicata sit. In medio autem homo ille doctus reliquit, cuinam ea disputatio tribuenda esset, quae capp. 36—39 continetur. Nam Messallam, inquit,**) „ut ceteras depravatae eloquentiae causas, ita etiam tertiam illam protulisse credibile est, quamquam nihil est, cur Secundo capita illa tribuere vetemur, quippe quibus media quaedam inter Maternum ac Messallam sententia proferatur atque ob id ipsum Secundi ingenio digna“. Ac nescit, an verba „ipsam quin immo curam et diligentis stili

*) Vid. Seebodii Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1825 II, 1. pagg. 72—74.

**) Vid. edit. II op. Tac. Orell. a. 1877 pag. 137.

anxietatem contrariam experimur" (in cap. 39) Secundum potissimum prodant, hominem — ut ait Quintilianus*) — infinitae curae"; pag. 145 autem l. c. Messalam illic verba facere putat.

Contra ceterorum Dialogi editorum et interpretum plurimis, quo in numero Carolus Peter, Aemilius Baehrens, alii homines docti non levissimae auctoritatis sunt, eadem cogitatio animo informata a cap. 36 usque ad finem cap. 41 videtur aperiri; quare Materno, quem quidem disputationis finem fecisse ex initio cap. 42 apparet, totam illam libelli partem tribuunt.**)

In primis quae leguntur in cap. 36 „illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuadere poterat" et cap. 37 haec verba: „quaestionis meminerimus sciamusque nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus existit" Petero videntur declarare, qui haec locutus sit eundem esse atque eum, qui in cap. 40 dicat magnam illam prioris temporis eloquentiam licentiae alumnam fuisse et in cap. 41 supervacaneum esse inter innocentes oratorem sicut inter sanos medicum. Neque aliam videt differentiam nisi quod quae antea dispersa Maternus attulerit deinde oratione complexus sit. Itaque priorem eloquentiam etsi recentiori praestare censeat, causas tamen illius praestantiae eundem odisse atque quietem et securitatem famae gloriaeque antepone.

Sed haec hactenus. Nunc ipse quid sentiam de quaestione illa dijudicatu difficillima aperiā.

Ac primum quidem Beckerus et Andresenus errore capti esse mihi videntur existimantes Maternum, praeterquam quod supervacaneum esse oratorem in civitate ad votum composita declaraverit, nihil omnino contulisse aut conferre potuisse ad causas imminutae Romanorum eloquentiae explicandas. Nam qua re prohiberi potuit id facere, quod facturum se esse in cap. 16 et pro se et pro Secundo promisit? Deinde argumentum parum potens Beckerus ex eodem cap. 16 loco duxisse putandus est, cum docet Secundi verba, quoniam Maternus omnem disputationem concludat, a cap. 36 usque ad cap. 40 oportere antecessisse; nam fieri potuisse supra vidimus, ut oratio ejus jam inter capp. 35 et 36 excideret, ubi ille quidem majorem lacunam esse negat.***) Tum Messallam, ut caeco antiquorum amore inflammatum, eas causas fractae eloquentiae exposuisse, quae inde a cap. 36 proferuntur, ne cogitari quidem potest. Postremo examinanti mihi eos locos, quos contrarios Andresenus posuit, ut ante cap. 40 alium hominem ac Maternum verba facere demonstraret, mirum videtur esse, quod finem cap. 40 cum verbis cap. 37 allatis composuit, ubi Catilina, Milo, Verres, Antonius commemorantur, Gracehorum mentio facta est nulla.

*) Instit. orat. X. 3, 12.

**) Steineri conjecturam inter capp. 41 et 42 lacunam esse Weinkauffio l. c. pgg. LXVIII et LXXXIV probatam Carolus Meiser (Krit. Stud. zum Dialogus und zur Germ. des Tacitus Eichstaett a. 1871 pgg. 53 et 54) et Aemilius Baehrens ed. Dial. Lips. a. 1881 pag. 99 refellerunt et redarguerunt.

***) Vid. l. c. pag. 74.

Ceteroquin binos locos pag. 14 comparatos etiamsi recte alterum ad alterum retulerit, tamen dubium est, num plane jam inde efficiatur, ut alius post cap. 40, alius ante dixerit. Quid? unus atque idem expositis causis imminutae eloquentiae, quae e forma civitatis et iudiciorum mutata arcessivit, nonne ita ad exitum pervenire potuit, ut aliquoties eisdem fere sentiis callide commutatis uteretur ad animos audientium vehementer commovendos? Verum fac et potuisse eum et fecisse, fac — id quod nullo modo exploratum est — omnia, quae a cap. 36 usque ad cap. 40 init. scripta videmus, Materni personae accommodata esse, tamen quaeritur, num obloquente nullo aut denuo interrogante abrupte Maternus ita peroraverit, ut eloquentiam praesenti aetate paene supervacaneam esse diceret. Nam ceteris omnibus Dialogi locis, quorum non paucos in particula I hujus dissertationis attulimus, ad novam rem sensim et paulatim oratio traducitur et convertitur.*) Itaque cum cap. 40 verbis „non de otiosa et quiescente re loquimur“ et q. s. ea sententia magnam eloquentiam et bonos mores inter se pugnare subito et ultro aperiatur, lacunam utique antea sumendam esse censeo.

Sed ante eam quis tandem dixit? Maternus an Secundus? Qua in re referre mihi videtur, ut perspiciamus non poetam illo loco verba facere, quem minime poeniteat eloquentia, quam sanguinantem vocat, se abdicasse, immo vero caudicus fori amans causam eloquentiae — ut ait Heumannus — agit, qui prioris temporis formam et consuetudinem iudiciorum desideret. Nonne illius fori desiderium eum capit, in quo „nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur“? Sed quamquam moleste fert, quod paenula adstrictus et velut inclusus cum iudice fabuletur atque plurimum humilitatis attulisse orationi auditoria et tabularia credit, in quibus jam fere plurimae causae explicentur, tamen idem, quotiescunque occasio data est, praesentem civitatis statum laudat. Quisnam igitur inter liberae rei publicae admirationem — quamquam perturbationem, licentiam, alia illius temporis mala haud ignorat — et suae aetatis laudem ita fluctuat, ut duabus sellis, id quod proverbii loco dici solet, sedeat? Idem videlicet, quem infinitae curae fuisse Quintilianus dicit (cf. pag. 15), qui in cap. 3 Maternum adhortatus est, ut emitteret „Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem“, qui in cap. 14 adeo caute dixit, ut offensionem omnem fugeret — ne diutius disseram — Julius Secundus.

Neque vero cap. 39 verba solum in fine pag. 14 allata „curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur“, sed etiam quae leguntur init. cap. 37 „nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquiorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur“ et q. s. Secundo, qui oratoris praestantissimi vitam composuit, aptius quam Materno conveniunt. Nam tragicum poetam, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam

*) Loci Dialogi a Petro l. c. pag. 139 allati, quibus conjunctionibus demptis dissolute dictum est, ad hanc rem minime pertinent.

colentem, undecim senatus actorum et tres epistolarum libros nuper collectos penitus percepisse non facile crediderim.

Haec quoniam exposuimus, in eis locis, quos inter se contrarios Andresenus posuit, major vis auctoritasque inesse videbuntur ad id quod voluit probandum.

Atque ut Materni verbis saepius commemoratis „non de otiosa et quieta re loquimur“ quae proxima sunt: „est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio“ cum praecedentibus non congruere accuratius significem, illis locis subicio hos, ubi diversa aestimatio eloquentiae aperitur: e cap. 37 „quo — — acriores pugnas sibi ipsa (eloquentia) desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata*) discriminibus in ore hominum agit“, et e cap. 38 „primus — — Cn. Pompejus astrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur“.

Contra has rationes universas locos pag. 15 e Peteri editione Dialogi allatos nihil valere puto. Nam Secundus cum dissensiones, perturbationes, seditiones, alia prioris aetatis mala breviter attingit, quae ab homine sine ira et studio iudicante silentio praetermitti omnino non poterant, laudes suo tempori impertiendas commode adornat. Longe autem abest, ut „quod superest antiqui oratoribus fori**) non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum“ esse cum Materno ille sentiat, qui quidem compositam eam et quietam et beatam initio cap. 36 aperte et plane dixerit. Nam cum hic rerum, quae in usu vitaeque communi vere et sunt et fiunt, rationem habeat, ille singularem quandam perfectissimae civitatis imaginem animo sibi finxit fictamque tenet.

Itaque Secundus vitae suae conditione contentus est, etiamsi raro factum videtur esse, ut homo ille „infinite curae“ alia de re atque de furto — ipsius utor verbis — aut formula et interdicto dicendum haberet; Maternus, quamquam civitates domestica discordia agitatae in clientelam suam recipere, tueri provincias spoliatas atque vexatas (cf. capp. 3 et 5 cum cap. 41 init.), alias res ad alliciendos et commovendos audientium animos idoneas agere poterat, tamen in foro versari desiit. Haec voluntatum studiorumque distantia multum valuisse par est ad diversam illam et liberae rei publicae et eloquentiae prioris aestimationem, quam saepius antea significavimus. Nam Secundus ut ea, quae minus tum probanda erant, haud ignorat, ita bona praeponderare existimat, quorum partem non minimam oratores perinde attulerint atque in rem suam converterint, Maternus illud tempus minime desiderat, ubi „omnia populus, omnia imperiti, omnia — — omnes poterant“; ille, ut paucis rem absolvam, antiquorum eloquentiam libertate natam admiratur, hic „licentiae alumnam“ odit.

Jam Andreseni argumentis auctis et firmatis aliqua verisimili ratione ostendisse mihi

*) Sic cum alii editores tum Carolus Halm et Aemilius Baehrens scripserunt, qui lacunam in cap. 40 esse negant.

**) J. Fr. Gronovium et Spengelium recte emendasse hunc locum puto.

videor a cap. 36 usque ad cap. 40 init. non Maternum, sed Secundum verba facere atque nonnullos eorum, qui alteram illam lacunam exstare adhuc negant, ad contrariam sententiam perducturum me esse spero et confido.

Proximum est ut alterius quoque lacunae mensuram ineam, quod neque Heumannus neque Beckerus neque Andresenus neque alius quisquam fecit.

Quam rem iterum ac saepius deliberanti mihi et quae Massmannus l. c. pgg. 188 et 192 coniecit legenti — quamquam is in Dialogi cap. 40 lacunam exstare negat — in opinionem venit aversa folia sex illarum pagellarum, quae inter capp. 35 et 36 exciderunt, una amissa libelli partem quam desideramus continuisse, quemadmodum in codicis Med. plut. LXVIII 2 fasciculo octavo eum tertio folio, quod Taciti Histor. I 69—75 habebat, etiam sextum Histor. I 86 usque ad II 2 continens interiit. Quod si sumimus septimam Dialogi partem bis excidisse, tertia particula, quam a cap. 28 incipere vidimus, perorationis parte quae superest deducta dimidium totius libelli efficit atque cum secunda, qua vere deminutam esse eloquentiam Apro repugnante contenditur, talem rationem ad primam particulam habet, qualem 3 ad 1, quae demum argumenti ratio apta videtur esse.

Forsitan quispiam dixerit exemplum, quod e Taciti Historiis repetivimus, non omni ex parte quadrare, quod illo loco interrumpi verba manifestum sit, in Dialogi cap. 40 continens et perpetua oratio esse videatur.

Verum apud scriptores antiquos et Graecos et Romanos haud paucos locos exstare notum est, ubi casu accidit, ut verba ante lacunam non primo aspectu perspicuam et post eam satis cohaerere inter sese viderentur. In Plinii cod. Med. plut. XLVII 36, ut propinquo exemplo utamur, si verba libri III epistolae nonae praescripta: „C. Plinius Cornelio Miniciano suo s.“ ante lacunam servata essent, num cuiquam auxilio cod. Florentini vel cod. Dresdensis carenti in mentem veniret duas chartas deesse? Aliis locis lacunosus „librarii primum relinquebant aliquid spatii, si forte alicunde suppleri possent quae exciderant; tandem alii hae spe abjecta quae supererant eodem tenore, quasi nihil deesset, perscribebant. Audi veterem librarium haec candide confitentem in Plutarchi codice Regio Paris. 1671 saeculi XIII, cuius verba attulit Duebnerus in praefatione ad Plutarchi Moralia: τὸ χωρίον τοῦτο ἀσαφές· ὁ δὲ ἐστὶ διὰ τὸ πολλὰ διαφθάραι τὰ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων μὴ δύνασθαι σώζειν τὴν συνέχειαν τοῦ λόγου. καὶ εἶδον ἐγὼ παλαιὰν βίβλον, ἐν ἣ ἡ πολλὰ διαλείμματα ἦν ὥς μὴ δυνήθεις τοῦ γράφοντος εὐρεῖν τὰ λείποντα, ἐλπίσαντος δ' ὅπως εὐρήσειν ἄλλα. ἐνταῦθα μέντοι κατὰ συνέχειαν ἐγράφη τὰ διαλείποντα τῷ μηκέτι ἐλπίδας εἶναι τὰ λείποντα εὐρεθήσεσθαι. — Habemus igitur confitentem se quae in antiquo codice viderat lacunis hiantia continuata oratione perscripsisse, quia nulla spes supererat fore ut aliunde supplerentur“. Vid. Car. Gabr. Cobeti orat. de arte interpretandi, quam habuit a. 1846 in academia Lugduno-Batava, pag. 66 sqq.)*

*) Cf. exemplum e Xenoph. Hellen. III 2 27 ed. Dindorf., quod Cobetus l. c. pag. 68 attulit.

In cap. 40 autem Dialogi, quoniam in talem suspicionem eorum qui hunc librum descripserunt nemo vocari potest, non consilio sed casu lacunae vestigium ita obscuratum esse colligimus, ut pauci veram Heumanni sententiam adhuc secuti sint.

Restat ut altera Dialogi lacuna quid exciderit deliberemus.

Qua in re satis est ostendisse et disputandi materiam a mutata rei publicae forma repetitam esse reliquam et rationum dispartendi variarum, quae admitti possunt, unam in medium protulisse.

